# Quae ratio intercedat inter librum Theognideorum priorem et posteriorem.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

**in academia Kiliensi**

**ad summos in philosophia honores rite capessendos**

scripsit

**Henricus Frese**

Uetersenensis.

**Adversarii erunt:**

**A. Detlefsen,** praeceptor gymnasii.
**H. Lehmann,** cand. mun. schol. sup.
**H. Rodenberg,** stud. phil.



**KILIAE.**

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXXV.

No. 2.

Rectoratus 1895/96.

Imprimatur:

**Deussen,**

h. t. decanus.

Parentibus meis
amoris et pietatis causa
sacrum.

Inter codices manuscriptos, quibus carmina elegiaca, quae Theognidis nomen ferunt, tradita sunt, longe praestantissimum esse codicem Mutinensem *A* diu inter omnes viros doctos constat. Differt autem hic codex saeculi decimi a ceteris non solum eo quod optimas omnium lectiones praebet, sed etiam eo quod longe plures versus in eo repetiti leguntur quam in ceteris, quod eo rarius fieri quo deteriores sint codices primus F. Nietzsche in Mus. Rhen. vol. 22 pag. 166 ss. demonstravit. Excellit praeterea hic codex praeter ceteros eo quod non solum 1220 versus (secundum editionem quartam Bergkianam), qui in reliquis codicibus insunt, continet, sed etiam 83 alia disticha — leguntur enim in codice *A* praeter 160 versus, quos Bergk in p. l. G. ed. IV affert, tria disticha, quae ille omisit, quia in priore quoque parte libri inveniuntur, quod recte fecerit necne infra nobis erit examinandum — quibus 83 distichis in codice superscriptum est ***Ἐλεγείων B***. Quae alterius libri inscriptio cum aperte respiciat ad titulum prioris libri, qui est ***Θεόγνιδος ἐλεγείων A***, dubitari non potest, quin is, qui nostram collectionem cum priore coniunxit, eam non minus quam priorem Theognidi tribuerit.

## I.

Cum autem in omnibus fere his 166 versibus agatur de amore puerili, duas elegias v. 1231—34 et v. 1386 – 89, quarum in altera, quae est in initio totius libri *B*, Eros, in altera, quae librum concludit, Venus invocatur, in eundem modum accipiendas esse pro certo statuere possumus, praesertim cum talis deorum inploratio optime in initio et fine carminum amatoriorum poni possit. Nec aliter cogitandum est de v. 1351—52

Ὦ παῖ, μὴ κώμαζε, γέροντι δὲ πείθεο ἀνδρί·
οὔ τοι κωμάζειν σύμφορον ἀνδρὶ νέῳ,

quos Welckerus in proleg. ad Theognidem pag. CII aberrasse in nostrum librum putat. Non enim hoc loco κωμάζειν est »comissari«, quod plerumque significat, sed »lascive et petulanter agere«, quod optime dici potest a poeta, qui toties queritur, quod parum reverentiae a puero amato sibi tribuatur, cf. 1265—66 et 1331—32. Contra si hoc loco κωμάζειν idem censemus significare, quod alias solet, nimis ieiunam adhortationem in nostris versibus inesse concedendum est. Cum igitur dubitari non possit, quin omnes hi versus de amore puerili scripti sint, permulti viri docti, qui talem rem longe alienam a Theognide putarent, nec eum tales elegias componere potuisse crederent, poetae Megarensi abiudicandum esse totum librum *B* existimaverunt. Quorum agmen ducit Welckerus, qui cum nostro libro *B* 16 versus prioris (libri (959—62 et 1091—1102) coniunxit, quos non minus propter impurum amorem puerilem, de quo in iis agatur, seiungendos esse a reliquis elegiis libri *A* putat.

Nostris temporibus uberrime de libro *B* egit A. Corsenn in quaestionibus Theognideis (in programmate Geestemuendensi 1887), qui vir doctus permulta collegit, quibus comprobare studet poetam, qui posteriorem librum composuerit, quicunque fuerit, ante oculos habuisse priorem librum et ad eius exemplum suos versus composuisse. Nec negari potest magnam similitudinem in componendis versibus et singulis vocabulis adhibendis intercedere inter duos libros ut e. gr. simillime compositi sunt v. 1233—1234.

ὤλετο δ' Αἰγείδης Θησεὺς μέγας, ὤλετο δ' Αἴας
ἐσθλὸς Ὀϊλιάδης σῇσιν ἀτασθαλίαις

et v. 1137

ᾤχετο μὲν πίστις, μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
σωφροσύνη,

v. 1237 θύμιον οὔ τοι ἀνάγκη
τοῦθ' ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

et v. 1086 ᾖου γὰρ ἐπίστῃ
τοῦθ' ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ.

Plures locos afferre non necessarium esse puto; qui rem

accuratius examinare vult, exempla permulta apud Corsennium inveniet. At vir ille doctus non satis id mihi spectasse videtur, quod poetae elegiaci persaepe poetas epicos imprimis Homerum imitati sunt. Qua de causa si eadem verba et figurae, quae in priore libro leguntur, recurrunt in posteriore, concludi non potest poetam nostrum ea ex priore libro sumpsisse, sed comprobatur ea re aut eiusdem poetae esse utrumque librum aut communi usui poetarum elegiacorum haec verba, formulas, figuras tribuenda esse. Liceat pauca exempla ex ipso initio libri *B* afferre. v. 1237—38 legitur

*οὔ τοι ἀνάγκη τοῦϑ' ἔρδειν* v. 1095—96 *οὔτις ἀνάγκη τοῦϑ' ἔρδειν*. Simile initium pentametri legitur v. 690 *οὐδ' ἔρδειν*, similis hexametri finis v. 195 *κρατερή μιν ἀνάγκη*, v. 387 *κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης*, v. 419 *ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης*. Sed Corsenn ipse ad hos locos annotat apud Homerum vocabulum *ἀνάγκη* f eresemper in fine hexametri legi ut Il. *Z*. 458, *M*. 178. Nec quisquam quia in priore libro quater in fine hexametri vox *ἀνάγκη* legitur, concludet diversos poetas hos versus composuisse, quorum alter alterum imitatus sit; immo eidem poetae eos tribuendos esse censendum est, aut in communi usu omnium huius generis poetarum fuisse, ut vocem *ἀνάγκη* in fine hexametri collocarent. Falsam esse hanc Corsennii rationem hoc quoque exemplo facile cognosci potest: ad v. 1241 ille annotat: casus obliquus vocis *φιλότης* in fine v. 1091. Occurrit autem omnino in Theognideis casus obliquus vocabuli *φιλότης* decies, quinquies in *A*, quinquies in *B*. In *A*. uno loco v. 1091 a Corsennio allato in fine versus legitur, reliquis medium versus locum obtinet; in libro *B* tribus locis v. 1241, 1313, 1359 in fine legitur, reliquis medium locum obtinet. Quae cum ita sint, nemo certe Corsennium sequetur, qui contendit tres illos libri secundi locos ad exemplum unius loci prioris libri factos esse, dum quattuor loci in libro *A* sunt, quibus casus obliquus vocis *φιλότης* in medio versu legitur. Nec aliter de plurimis locis iudicandum est, quos Corsenn affect, quo suam de libro *B* sententiam comprobet.

Sunt praeterea permulti loci, quibus Corsenn similitu

dines sibi invenisse videtur, ubi certe non insunt. Comparat e. gr. pag. 7 cum verbis *Οὔποθ' ὕδωρ καὶ πῦρ συμμίξεται* (v. 1245) verba *νῦν δ ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλυῖ*(v. 961). Equidem nullam aliam similitudinem indagare potui, nisi quod utroque loco poeta de aqua loquitur et verbo *μίγνυμι* utitur; sed altero dicit aquam et ignem misceri non posse, altero translatione et imagine usus fontis aquam limo turbatam esse. Nec maior similitudo intercedit inter proximum distichon 1247—48

*Φρόντισον ἔχθος ἐμὸν καὶ ὑπέρβασιν, ἴσθι δὲ θυμῷ,*
*ὥς σ' ἐφ' ἁμαρτωλῇ τίσομαι ὡς δύναμαι*

et v. 325—27:

*εἴ τις ἁμαρτωλῇσι φίλων ἐπὶ παντὶ χολῷτο,*
*οὔ ποτ' ἂν ἀλλήλοις ἄρθμιοι οὐδὲ φίλοι*
*εἶεν.*

Facillime talium exemplorum numerus ex libro Corsennii angeri potest, sed iam haec mittamus, cum talibus similitudinibus, quae nullae sunt, comprobari non posse eum qui librum *B* conscripsit, libro *A* usum esse ad suos versus faciendos satis demonstratum existimem.

## II.

Sed accedit aliud. Leguntur in libro *B* quinque disticha, quae in priore quoque libro occurrunt. Cum iam diu a viris doctis cognitum sit, ex ipsis versibus repetitis naturam totius collectionis, quae Theognidis nomen fert, optime perspici posse, et complures iam hanc singulorum versuum aut distichorum repetitionem in priore libro explicare studuerint, iam versus, qui in utroque libro inveniuntur, accuratius inspiciamus. Sunt autem hi:

v. 1151—52 repetuntur post 1238 (secundum ed. IV, p. l. Bergkii) v. 597—98 sunt idem ac 1243—44, v. 1101—02 repetuntur post 1278, quod distichon Bergkius in textum libri *B* non recepit, nec minus omisit v. 949—50, qui ante 1279 et v. 1107—8, qui post 1318 repetuntur.

Atque horum quidem distichorum primum Bekkerus in libro *B* expunxit, Bergkius in textu retinuit haec annotans:

„manifestum est haec duo disticha (sc. v. 1238 ab et 1240 ab) arctissima necessitudine iuncta esse, nam λέξουσι ad δειλοὺς ἀνθρώπους vs. 1152 est referendum. Itaque ecloga cum hic integra extet, suum obtinet locum, unde male sedulus homo prius distichon libro I inseruit.« Rectissime quidem ille dicit haec duo disticha dirimi non posse, cui assensus est Fr. Cauer in studiis Theognideis in Philol. vol. 50 pag. 543, praesertim cum in versibus

πολλάκι τοι παρ' ἐμοὶ κατὰ σοῦ λέζουσι μάταια
καὶ παρὰ σοὶ κατ' ἐμοῦ· τῶν δὲ σὺ μὴ ζυνίει

si seiuncti ab antecedentibus leguntur, nesciamus, qui homines poetae maledicturi sint. Quod autem Bergkius dicit de homine male sedulo, qui prius distichon in librum *A* ex libro *B* inseruerit, vereor ne perverse iudicet vir doctus. Quis enim, qui in libro *B* duo disticha optime congruentia legeret, alterum in librum *A* transponeret, praesertim in locum tam male aptum, qualem hoc distichon in libro priore obtinet? Antecedit enim satis magna elegia 1135– 50, qua poeta queritur, quod fides et constantia e mundo excesserint, spem solam hominibus remansisse, cui ut deae ab illis sacrificandum esse; sequitur distichon, quo poeta optat, ut dives et securus vivere possit. Non igitur in hac re Bergkio assentiri possum, sed hoc potius putaverim in libro *A* quoque olim integram elegiam versus 1239a—1240b continentem extitisse, sed casu quodam alterum distichon excidisse. Utrum autem ex libro *A* in librum *B*, an ex *B* in *A* transposita sit elegia, nondum discernere audeo.

V. 597–98 mutati recurrunt v 1243—44. De quibus versibus nuper egit Reitzenstein in libro, qui inscribitur: Epigramm und Skolion pag. 76. Qui vir doctus cum omnino nostram collectionem in usum conviviorum conscriptam esse putet[1]), nostros versus cum antecedentibus ita coniungendos esse censet, ut postquam v 595–96 a quodam conviva cantati vel declamati sint, alius nostris versibus ei respondeat. Annotat autem Reitzenstein haec ad nostrum locum: „A sagt: ἑταῖροι wollen wir sein, aber von fern, ich bin Deiner überdrüssig; *B* antwortet: sogar φίλοι wollen wir sein, und zwar

[1]) **Eandem sententiam iam antea protulit Bergkius G. L.G. II, p. 321.**

lange, aber Du musst nicht mit mir verkehren; geh zu andern, welche Dich Wankelmütigen besser kennen.“ Optime vir doctus totum sententiarum conexum mihi explicasse videtur, nisi quod mea quidem sententia non recte percepit extrema verba secundi distichi *οἳ τὸν σὸν μᾶλλον ἴσασι νόον*, cum ea sic vertat: welche Dich Wankelmütigen besser kennen. Quomodo enim poeta dicere potest: confer te ad alios, qui te inconstantem melius noverunt, cum dubium non sit, quin poeta comparativo *μᾶλλον* usus ad se ipsum respiciat, qui animum mobilem pueri nuper expertus eius amorem spernit? Nonne omnes quo melius eius inconstantiam cognoverint, eo magis puerum aspernari necesse est? In similem errorem Cauer incidisse videtur, qui l. c. pag. 543 eodem fere modo quo Reitzenstein v. 598 vertit: verkehre mit anderen Leuten, welche Deinen Sinn besser kennen. Vertendum erat Reitzensteinio et Cauero: Welche sich besser auf Deine Sinnesart verstehen. Quoniam sic omnia optime inter se quadrant, mihi quoque reicienda videtur Bergkii coniectura, qui pro *καί*, quamquam utroque loco codicum auctoritas hanc lectionem tuetur, scribere voluit *παῖ*. Sed iam inspiciamus librum *B*, ubi versus sic immutati leguntur:

*Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἔπειτ᾽ ἄλλοισιν ὁμίλει,*
*ἦθος ἔχων δόλιον, πίστιος ἀντίτυπον.*

Perspicuum mihi esse videtur has mutationes deberi homini, qui distichon, quod a v. 595—96 seiunctum sensum non praeberet, ita immutare vellet, ut per se intellegi posset. Simillime de hoc disticho Cauer l. c. egit, quamquam disticha prioris libri aliter interpretatus est ac Reitzenstein, quem ego secutus sum. Offendit autem me in Caueri interpretatione imprimis, quod verba *δὴν δή* cum antecedentibus coniungenda esse censet, ut hic sensus eveniat: »ausser dem Reichtum habe ich ja längst alle Dinge satt.« Mihi versus 596 a poeta non de sua ipsius animi conditione sed in universum de divitiis et hominum natura dictus esse videtur; cf. simile de divitiis iudicium in v. 227 ss. et 1157 ss. Utcumque res se habet, nemo certe negabit in libro *A* genuinam lectionem distichi servatam esse et arctissime in eo libro distichon, de quo agimus, cum antecedente coniunctum esse.

Post versum 1278 repetuntur v. 1101—2:

Ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι, καί σ᾽ ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ᾽ ἡμετέρην φιλίην.

Cum sit sententia relativa, quae dicitur, perspicuum est distichon per se nullum sensum praebere posse. Quam ob rem nonnulli viri docti cum antecedentibus v. 1097—1100 hos versus coniungere conati sunt; quod cum textu non mutato fieri non posset, Boissonade pro ὅστις coniecit χὤστις, quod Sitzlerus in editionem suam recepit. Sed videtur mihi non apte a verbo γνώσῃ pendere posse et accusativum ἡμετέρην ἐπιφροσύνην et interrogatio indirecta ὅστις σοι βούλευσεν e. q. s. In libro *B* primum cum antecedentibus quattuor versibus nostrum distichon coniungi posse existimavi, ut totius elegiae sensus hic sit: Veris tempore Eros Cyprum relinquit et homines adit, qui nunc te quoque adduxit, ut me desereres et — quod cogitatione addendum est — ad alium te conferas. Cum autem ὅστις sit pronomen interrogativum indirectum aut relativum indefinitum, eodem modo atque in libro *A* res se habet, ut textu non mutato distichon cum antecedentibus coniungi non possit. Sed fortasse causa inveniri potest, cur hoc ipso loco post v. 1278 distichon, de quo agimus insertum sit ab eo qui Theognidea composuit. Diu enim a viris doctis cognitum est si non in toto libro Theognideorum tamen in quibusdam partibus singulas elegias ita uno quasi filo connexas esse, ut vocabulum quoddam alterius eidem vocabulo in altera respondeat, quod primus Welckerus prol. pag. CV demonstravit. Cum autem in v. 1277 legatur vocabulum προλιπών et in v. 1102 idem participium προλιπόντα occurrat et praeterea uno tantum loco totius libri (v. 351) inveniatur προλιποῦσα, non plane reicienda videtur suspicio, ne propter hoc verbum distichon hoc ipso loco in librum *B* receptum sit. Utut est, hoc iam videmus in utroque libro distichon occurrere, quod cum nullo alio cohaeret et quod omnino sensum non praebet. Quae res argumento est rationem quandam intercedere inter libros *A* et *B*, sive ex eodem fonte fluxerunt, sive illud distichon ex altero in alterum transpositum est.

De proximis versibus repetitis paulo amplius disputandum erit. Leguntur in libro *A* in initio huius elegiae:

*Νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθὼς*
*ποσσὶ καταιμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον·*
*τειχέων δ' ὑψηλῶν ἐπιβὰς πόλιν οὐκ ἀλάπαξα·*
*ζευξάμενος δ' ἵππους ἅρματος οὐκ ἐπέβην·*
*πρήξας δ' οὐκ ἔπρηξα, καὶ οὐκ ἐτέλεσσα τελέσσας·*
*δρήσας δ' οὐκ ἔδρησ', ἤνυσα δ' οὐκ ἀνύσας.*

Welcker in annotatione ad hanc elegiam pag. 134 aenigma eam esse censet, cuius sensum loco ex Anthologia Palatina pag. 591, 146 allato explicat. Est ibi epigramma Rhiani hoc:

*Ἀγρεύσας τὸν νεβρὸν ἀπώλεσα, χὠ μὲν ἀνατλὰς*
*μύρια καὶ στήσας δίκτυα καὶ στάλακας*
*σὺν κενεαῖς χειρέσσιν ἀπέρχομαι· οἱ δ' ἀμογητὶ*
*τ' ἀμὰ φέρουσιν, Ἔρως, οἷς σὺ γένοιο βαρύς.*

De re Venerea igitur tota elegia scripta esse videtur viro docto, quod equidem probandum esse puto, nam perspicuum est poetam versibus 949—52 nihil offerre nisi exempla rerum, quae ad finem fere perductae inspinate interrumpuntur. Sic sibi quoque accidisse dicit poeta ut, cum paene consecutus esset quod cupiverat i. e. voluptatem amatoriam, tamen ad finem non pervenerit. Non recte igitur Busolt hunc locum interpretatus est, qui pag. 291 libri qui inscribitur: die Lakedämonier und ihre Bundesgenossen dicit: Theognis rühmt, dass er die hohen Mauern erstiegen habe, ohne die Stadt auszuplündern. Er habe nicht wie der Löwe vertrauend auf seine Stärke das Hirschkalb zerfleischt, das Blut der Feinde getrunken, sondern den Sieg vollendend, das Werk der Rache unvollendet gelassen. Haec omnia vir doctus ex nostro loco collegit et putat Theognidem nostra elegia respicere ad pugnam inter plebem et optimates Megarensium factam, de qua apud Aristotelem Pol. V, 4, 3 legitur: *Οἱ δὲ* (optimates a plebe Megarensi expulsi) *κατιόντες ἐνίκησαν μαχόμενοι τὸν δῆμον.* Sed errare Busoltium nec poetae verba: *τειχέων δ' ὑψηλῶν ἐπιβὰς πόλιν οὐκ ἀλάπαξα* ad rem revera factam referenda esse, iam ex eo apparet, quod hic versus in medio carmine legitur, nam poetam non primum translatione uti, deinde rem ipsam, quam significare vult, afferre, tum iterum aliam comparationem ad-

hibere, postremo eandem rem quater verbis in universum dictis exprimere posse consentaneum est. Sed iam mittamus haec et revertamus ad nostram loci interpretationem. Verbo *πράσσειν* alias quoque poetas de amore uti docet locus Theocriti II, 143, ubi legitur: *ἐπράχθη τὰ μέγιστα*. Eodem sensu idem poeta usus est verbo *ἀνύω* I, 93, ubi est: *ἄνυε πικρὸν ἔρωτα*. Nec verbum *τελεῖν* alienum esse a tali usu docent v. 1369—70, ubi legitur:

*Παιδὸς ἔρως καλὸς μὲν ἔχειν, καλὸς δ' ἀποθέσθαι·*
*πολλὸν δ' εὑρέσθαι ῥήτερον ἢ τελέσαι.*

Sed iam his, quae attuli, argumentis satis mihi demonstrasse videor agi in hac elegia de amore; cum autem initium eius inveniatur in libro *B*, quem totum de amore puerili scriptum esse ostendimus, de hoc ipso genere amoris nostris quoque versibus poetam loqui existimo. Quoniam autem fieri potuit, ut in libro *B* duo disticha, quae in *A* servata sunt, exciderent, diiudicare non audeo, quo in libro elegia genuinum locum obtinuerit.

Post versum 1318 v. 1107—8 paulum immutati iterum occurrunt. Sed diversitates lectionum codicis *A*, qui in libro *A* habet: *φίλοις ὁ πόνος δειλά παθὼν γενοί μην*, in libro *B* *τοῖσι φίλοις δὲ πόνος δεινὰ παθὼν γενόμην*, levissimas esse et librarii erroribus explicari posse apparet. Nec minus in dubio relinquendum esse puto, utrum distichon in priore an in posteriore libro genuinum locum obtineat, quamquam verisimile mihi non videtur distichon ex libro *B* in librum *A* transpositum esse, nam antecedit in prioie libro distichon quod ipsum paulum mutatum repetitum est ex versibus antecedentibus (417—18) et sequitur elegia in qua poeta de rebus publicis agit.

Quoniam sic quinque disticha, quae plus minusve mutata in utroque libro occurrunt, pertractavimus, reliquum est, ut de iis versibus agamus, qui magis inter se differre videntur. Ac primum quidem agendum erit de versibus 1353—56:

*Πικρὸς καὶ γλυκύς ἐστι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής,*
*ὄφρα τέλειος ἔῃ, Κύρνε, νέοισιν ἔρως·*

ἣν μὲν γὰρ τελέσῃ, γλυκὺ γίνεται· ἣν δὲ διώκων
μὴ τελέσῃ, πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον.

Cuius elegiae prius distichon in libro *A* v. 301—2 sic immutatum legitur:

Πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνὴς
λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσί τ' ἀγχιθύροις.

Perspicuum est rationem quandam inter hos duos locos intercedere nec posse alterum sine altero factum esse. At quamquam omnes viri docti, quorum quidem scripta de Theognide perlegerim, opinione quodam praesumpta, ut mihi videtur, fortasse etiam Welckeri auctoritate adducti, qui versus 1353—56 inter parodias posuit, versus libri *B* ad exemplum versuum prioris libri conscriptos esse censent, equidem contra v. 1353 – 56 genuinos et ad eorum exemplum v. 301—2 factos esse existimo, quia in libro *B* omnia bene composita sunt et adiectiva πικρός, γλυκύς, ἁρπαλέος, ἀπηνής optime de amore dici possunt a poeta, cuius varios animi motus aliae quoque elegiae nostri libri optime depingunt ut 1337—40, 1341—44, imprimis autem 1369—72. Cum supra iam ubi de v. 949—54 egi, demonstraverim verbum τελέω de re amatoria a poeta adhiberi, qui sensus eidem verbo in v. 1355 nostrae elegiae inest, adiectivo quoque τέλειος poetam nostrum non aliter uti perspicuum est. Sed iam inspiciamus distichon prioris libri, quo poeta aliquem, cuius nomen non affert, adhortatur, ut sit acerbus et dulcis, et suavis et durus adversus mercennarios et servos et vicinos. Etsi negari non potest nonnulla praecepta inesse in libro *A*, quae nobis honesta videri non possunt, tamen omnia ad instituendam vitam non inutilia sunt, nec ullum invenitur, quod tam stultum et imprudens sit quam hoc de quo agimus distichon. Itaque cum hoc sit proprium imitatoris vel plagiatoris, quem dicimus, ut quae aliunde deprompserit, non satis apte in suum usum convertat, distichon in libro *B* genuinam formam servasse et ad eius exemplum versus libri *A* factos esse apparet.[1])

---

[1]) **Accedit hoc quoque quod versus 1355—56, quibus v. 1353—54 explicantur, si ab iis separati leguntur, sensum non praebent.**

Non minoris momenti quam versus 1353 ss. videtur versus 1365 esse, quem simillimum esse versui 1117 nemo non videt. De quibus versibus recte mihi iudicasse videtur Reitzenstein, qui pag. 82 l. c. contra eos viros doctos, qui versum *ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων* a poeta conformatum esse ad exemplum versus *Πλοῦτε θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων* dicunt, exponit poetam ad versum 1365 conficiendum usum esse his versibus ex Oedipodea cyclica sumptis

*ἀλλ' ἔτι κάλλιστόν τε καὶ ἱμεροέστατον ἄλλων*
*παῖδα φίλον Κρείοντος ἀμύμονος Αἵμονα δῖον.*

Pergit autem vir doctus ille sic: In der epischen Vorlage waren die Epitheta *κάλλιστος καὶ ἱμεροέστατος* von einem schönen Knaben gebraucht; es ist das auch das einzig Naturgemässe — also ist der Vers der ersten Sammlung *Πλοῦτε* e. q. s. grade umgekehrt eine Nachbildung von 1365 und bezeugt dessen höheres Alter. Qua in re plane Reitzensteinio assentio; sed accedit aliud, quo comprobatur admodum antiquum esse nostrum libri *B* versum.[1]) Inventum enim est in sepulcris Tanagraeis vas fictile, in quo pictus est vir cubans, cuius ex ore prodeunt verba: *ὦ παίδων κάλλιστε.* De qua pictura primus egit U. Koehler (Mitteilungen des deutschen archäologischen Instituts zu Athen, vol. IX pag. 1—4), qui artificem nostro ipso carmine commotum esse dicit, ut eam rem illustraret. Cum autem illud vas initio saeculi quinti ante Chr. n. factum esse videatur, nostrum distichon iam tum extitisse concludendum est. Nec probari potest Corsennii sententia, qui ut suam de libro *B* opinionem tueatur, putat artifici alius poeta antiquioris, Mimnermi fortasse, carmen exemplo fuisse, de quo carmine pag. 22 l. c. haec affert: quod etiam auctorem versuum appendicis novisse et in mente habuisse ea ex re, quod pluries versus antiquiorum poetarum elegiacorum, ut Solonis, Mimnermi, in usum suum converterit, recte conicias.« Nobis cum notum sit, unde poeta epitheta illa, quibus puer ornatur, sumpserit et per-

---

[1]) cf. Reitzensteiu l. c. pag. 85.

suasum sit versum 1117 confici non potuisse sine versu 1365, non amplius de hac re disserere necesse est.

Versum 1238, qui est idem ac v. 1086, de quibus versibus iam supra pag. 2 egi, attulisse satis erit, quoniam his duobus versibus nihil efficitur ad cognoscendam rationem, quae inter duos Theognideorum libros intercedit. Nec aliter iudicandum est de versu 1262, qui est idem fere ac 1152. Nam cum iam supra pag. 5 exposuerim versus 1239 a b, qui sunt idem ac 1151—52 in libro *B* desiderari non posse, non necesse erat poetam, qui versum 1262 scripsit, recurrere ad librum *A*, quoniam versus in libro *B* ei praesto erat.

Quoniam omnes versus, qui et in libro *A* et in libro *B* occurrunt, perlustravimus, iam hoc pro certo dici potest plane reiciendam esse Corsennii opinionem, qui totum librum *B* ad exemplum libri *A* conscriptum esse putat. Hoc tamen concedendum erit artissime hos duos libros inter se coniunctos esse et certam quandam rationem inter eos intercedere. Quod iam aliis argumentis confirmare conabor.

## III.

Legitur in v. 1354 appellatio *Κύρνε*[1]), quod nomen certissimum signum esse, quo genuinas Theognidis elegias cognoscamus omnes virii docti consentiunt, quoniam apertis verbis apud Suidam traditum est Theognidem gnomologiam scripsisse ad Cyrnum puerum amatum — *πρὸς Κύρνον, τὸν αὑτοῦ ἐρώμενον* — nec ulla causa est, cur in priore libro ullos versus, in quibus hoc nomen occurrit, poetae Megarensi abiudicemus; nam v. 237—54, quos nonulli viri docti Theognidi abiudicandos esse censuerunt, recte mihi interpretatus esse videtur de Leutsch Phil. vol. XXIX pag. 680 ss, ut nulla difficultas in iis remaneat. Studuerunt autem nonnulli viri docti argumento ex ipsis Theognideis petito confirmare Theognidem ipsum appellatione

---

[1]) *Κύρνε* nomen proprium esse non appellativum, quod voluit Welckerus prol. pag. XXXIII, nunc omnes viri docti, quorum sententias de Theognideis perlegi, concedunt cf. imprimis Reitzenstein l. c. pag. 55 ann. 1 et Hiller in annal. phil. vol. 51 pag. 473, praeter Sitzlerum, qui pag. 29 prol. de hoc vocabulo egit.

„*Κύρνε*" in versuum connexum recepta eos versus a se factos esse significare voluisse, cum afferent v. 19 ss, quos versus ita illi interpretati sunt, ut dicerent vocabulum *Κύρνε* esse illud sigillum, quod poeta versibus impositurus sit. Quam sententiam postquam primus Hartungius protulit, alii probaverunt, in quibus est Sitzlerus, qui in editione sua scripsit; „*Κύρνε*" *σοφιζομένῳ* e. q. s. Quibus adversatur Hiller in annal. phil. 1881 pag. 472, ubi demonstrat sigillum, de quo poeta loquitur esse nomen Theognidis ipsius. Quae sententia quamquam mihi quoque probanda esse videtur, tamen non minus ob causas supra allatas omnes elegias, in quibus haec Cyrni appellatio occurrit, Theognidis esse existimo et reicienda mihi videtur opinio eorum, qui ut F. Nietzsche in Mus. Rhen. vol. XXII pag. 186 putant nomen Cyrni ab eo qui librum *B* conscripserit, insigni quadam malignitate insertum esse in contextum verborum, quoniam omnino non de parodia cogitandum esse iam supra pag. 5 s demonstravi. Videmus igitur hanc unam certe elegiam libri *B* versus 1353—56 continentem tribuendam esse Theognidi. Sed intercedit alia quoque similitudo inter duos nostros libros, quam iam nunc explicabo.

Inveniuntur in libro *A* nonnulli versus, quos a Theognide non factos esse certissime constat, alios permultos viri docti propter argumenta vel verborum usum, vel rationem versuum componendorum spurios esse suspicati sunt. Sed cum de his nihil certi dici possit, eos solos afferam, qui certis poetis tribui possunt[1]).

V. 935—38 et v. 1003—6 ex maiore elegia Tyrtaei sumpti sunt, quam Stobaeus flor. LI, 1 et LI, 5 exhibet et quam a Tyrtaeo factam esse Plato leg. I, 629, ubi initium huius carminis legitur, testis est. Quae autem causa fuerit, cur is qui nostram Theognideorum collectionem consarcinavit, versus 37—42 huius elegiae (frg. 12 Tyrtaei, Bergk p. l. vol. II ed. IV) commutaret et in arctum redigeret et cur cum

---

[1]) lectionum diversitates, de quibus egit F. Cauer Phil. 49, pag. 662 ss, quia ad rem, quam mihi tractandam proposui, nihil valent, non curabo.

versibus 933—34 eos coniungeret, qui versus certe non sunt Tyrtaei[1]), diiudicare non possum.

Iam transeo ad enumerandos versus Solonis, qui in Theognideis inveniuntur. Ex versibus 153—54 Clemens Alexandrinus hexametrum affert, cum Strom. VI, 740 haec dicat: *Σόλωνος δὲ ποιήσαντος· τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν πολὺς ὄλβος ἕπηται, ἄντικρυς ὁ θέογνις γράφει· τίκτει τοι κόρος ὕβριν ὅτ' ἂν κακῷ ὄλβος ἕπηται.* Cum sit perspicuum non ab utroque poeta distichon simillimum profectum esse, dubitari poterat, utrum Soloni an Theognidi nostrum distichon tribuendum sit, dum liber, qui inscribitur *Ἀθηναίων πολιτεία* certum testimonium nobis praebuit Solonis esse hos versus, quos in capite 12 l. c. coniunctos cum frg. 6 (Bergk) legimus. Ex maiore elegia Solonis, quae integra apud Stobaeum flor. IX, 25 extat, sumpti sunt v. 227—32 (idem ac versus 71—76 frg. 13) et versus 585—90 (idem ac v. 65—70 eiusdem fragmenti). Quam elegiam revera scriptam esse a Solone testis est praeter Stobaeum [2]) Aristoteles, apud quem legitur Pol. I, 3,9 *ὥσπερ Σόλων φησὶ ποιήσας πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα* e. q. s., et Plutarchus, qui habet de cup. divit. 4: *ὅθεν εὖ πρὸς τούτους λέλεκται ὑπὸ τοῦ Σόλωνος· πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα* e. q. s. Versus 315—18 Solonis esse comprobatur loco Plutarchi, apud quem vit. Sol. cap. 3 legitur: *ὅτι δ' αὐτὸν ἐν τῇ τῶν πενήτων μερίδι μᾶλλον ἢ τῇ τῶν πλουσίων ἔταττε, δῆλόν ἐστιν ἐκ τούτων· Πολλοὶ γὰρ* e, q. s. Ex eiusdem libri cap. 2, ubi legitur: *Πλοῦτον δ' οὐκ ἐθαύμαζεν, ἀλλὰ καὶ φησὶν ὁμοίως πλουτεῖν, ᾧτε πολὺς* e. q. s. usque ad *ἁρμόδια*, cognosci potest versus 719—28 Solonis esse, nam v. 725—28 cum antecedentibus tam arte cohaerent, ut ab iis seiungi non possint.

Ex versibus 793—96 posterius distichon in Anthologia Palatina IX, 50 Mimnermi nomine traditum est, qua de causa prius quoque distichon, quod cum sequente artissime coniunctum

---

[1]) Bergk frg. Sol. 44 hos versus fartasse Soloni tribuendos esse dicit.

[2]) Stobaei testimonium non multum valere ex eo sequitur, quod v. 585—90, quos ipse in elegia integra Solonis nomine attulit, alio loco (CXI, 16) Theognidi tribuit, de quo infra mihi agendum erit.

est, eidem poetae tribuendum est. Nec aliter iudicandum est de v. 1017—22, ex quibus Stobaeus CXVI, 34 versus 1020—22 Mimnermi nomine affert. De alio autem disticho eiusdem poetae apud Stobaeum XI, 1 tradito, quod in editione Bergkiana v. 1227—28 legitur et cuius initium deperditum est, hic non disserendum est, cum non in codicibus extet, sed errrore Grotii in textum librorum receptum sit.

Paulo difficilior est quaestio de versibus Eueno Pario attribuendis. Legitur enim v. 472 *πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιηρὸν ἔφυ*. Quodsi cum hoc versu comparabimus, quae leguntur Arist. Metaph. IV, 5 *τὸ γὰρ βίαιον ἀναγκαῖον λέγεται, διὸ καὶ λυπηρόν, ὥσπερ καὶ Εὔηνός φησι· Πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ,* non dubitabimus, quin eidem poetae uterque versus tribuendus sit, nam discrimen fere nullum est. Oritur igitur quaestio, quot versus ex antecedentibus et sequentibus cum v. 472 coniungendi sint. Quamquam autem viri docti valde dissentiunt, utrum versus 467—96 unam elegiam efficiant — quod vult Bergk – an in complures partes dirimendi sint, quod fecerunt Bekker, Welcker, Hartung in editionibus, de Leutsch in Phil. vol. XXX pag. 662 ss, tamen omnes concedunt versus 467—74 inter se cohaerere. Nec mihi de Leutsch, qui l. c. uberrime de hac elegia egit, recte iudicasse videtur, qui contra Aristotelis testimonium hoc carmen Theognidis esse contendit, sed Bergkium potius sequendum esse puto, qui Eueno Pario maiori nostros versus tribuendos esse censet[1]). Summi autem momenti est, quod in his ipsis versibus nomen Simonidis nobis occurrit, quia illud nomen proprium iterum in libro *A* v. 667 invenitur. Qua de causa recte mihi Bergkius eam quoque elegiam v. 667—82 continentem, cuius in initio nomen Simonidis legitur, eidem poetae attribuisse videtur. Cui assensus est de Leutsch Phil. vol. XXX pag. 233 novis argumentis non additis, quod certe mirum videri potest, quoniam idem vir doctus alterum locum a nobis tractatum, quo Simonides appellatur, Eueno abiudicat.

---

[1]) cf. annotationem eius ad v. 467—96 et quae p. l. vol. II. pag. 271 ss de Eueno Pario maiore et minore exposuit vir doctus.

Hi igitur versus libri *A* certis quibusdam poetis tribui possunt, alios, qui viris doctis suspicionem praebuerunt et ab aliis aliis poetis tributi sunt hic omitto.

Jam inspiciamus alterum librum. Ex quo v. 1253—54 testimonio Hermiae, comment. in Plat. Phaedr. 78, Soloni tribuendi sunt, quamquam paulum immutati in Theognideis leguntur. Dubitari autem potest, num sequens quoque distichon, cuius argumentum est simillimum, Solonis sit. Mihi quidem vix credibile videtur haec duo disticha ab eodem poeta facta esse, sed imitatoris non nimis docti secundum distichon esse puto. Jam nobis agendum est de v. 1345—50, in quibus nomen proprium Simonidis legitur, quos ego ob hanc causam non minus quam versus prioris libri, in quibus illa appellatio occurrit, Eueno Pario maiori vindico. Cum his nostris versibus Corsenn pag. 19 libri saepius laudati quattuor versus antecedentes coniungendos esse censet, cum ad comprobandam sententiam suam haec afferat: »Primum enim aptissime pergi poterat post v. 1344 verbis *παιδοφιλεῖν δέ τι τέρπνον* etc.; nam haec est sententia: quamquam invitus multas iniurias perpetior nam a puero minime deformi victus sum — tamen id dicendum pueros amare esse dulce, etc..; deinde vero verba *οὕνεκα κἀγώ* etc. sine dubio referenda sunt ad verba *οὐ γὰρ ἐπ' αἰκελίῳ* etc; atque verba *οὕτω μὴ θαύμαζε* multo aptius videntur dicta esse, si referenda quoque sunt ad verba *αἰαῖ, παιδὸς ἐρῶ*. Itaque pro certo affirmare ausim v. 1341—50 esse coniungenda, praesertim cum ne scriptura quidem codicis prohibeamur, quominus id faciamus, quia eum singulas sententias non distinguere satis constat.« Extremo hoc argumento ex codicis scriptura petito omnino nihil probari perspicuum est, nam cum in codice omnes elegiae continuo scriptae sint[1]) eo certe non prohibemur, quominus alios quoque quoslibet versus coniungamus. Sed ne reliqua quidem, quae Corsenn affert, probare possum, nam v. 1341—44 nihil aliunde requirunt, sed per se hunc optimum sensum praebent:

---

[1]) cf. F. Nietzsche in Mus. Rhen. vol. 22 pag. 162.

amo puerum pulchrum, quamquam apud omnes amicos famam meam laedit (scl. cum me puerorum amatorem esse ostendat) me invito; tamen iniurias, quibus me afficit, quamquam invitus, non celans tolerabo, quia pulchritudine pueri victus sum. Fortasse aliquis ante *τλήσομαι* coniunctionem adversativam desiderat, sed sententias sibi oppositas saepissime asyndetice componi notissimum est. Quid autem Corsenn velit, cum dicat verba *οὕνεκα κἀγώ* etc. referenda esse ad verba *οὐ γὰρ ἐπ' αἰκελίῳ* etc. perspicere non possum, nam *οὕνεκα* nihil aliud est nisi *ὅτι* et pendet a verbo *θαύμαζε*, qui sensus coniunctionis et in nostris Theognideis bis occurrit, v. 670—71

*πολλῶν γνούς περ ἄμεινον ἔτι,*
*οὕνεκα νῦν φερόμεσθα* e. q. s.

et v. 853—54

*Ἤιδεα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώϊα δὴ νῦν,*
*οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἔστι χάρις.*

et saepius apud Homerum invenitur ut Od. V, v. 216; VII, v. 300; XVI, v. 379. Sed cum iam his, quae attuli, argumentis Corsennii sententia satis refutata sit, soli versus 1345—50 certe Eueno Pario tribui possunt.

Videmus igitur in libro *B* quoque quosdam aliorum poetarum elegiacorum antiquiorum versus nobis occurrere. Quod multo plures sunt in libro *A* quam in *B*, offensioni nobis non erit, si consideraverimus numerum versuum libri *A* et *B*.

Iam liceat omnes similitudines, quas inter duos libros intercedere adhuc exposuimus, breviter complecti:

1. Uterque liber Theognidis nomine traditus est.

2. In utroque libro idem usus verborum et eadem ratio componendorum versuum.

3. Nonnulla disticha et versus in utroque libro leguntur.

4. Una elegia libri *B* certissime Theognidi tribui potest, quia nomen proprium *Κύρνε* in ea occurrit.

5. In utroque libro versus occurrunt, qui aliis poetis elegiacis antiquissimis tribuendi sunt.

6. In neutro libro ullus recentiorum poetarum versus invenitur.

7. In neutro libro certus sententiarum conexus reperiri potest, nisi quod omnes versus libri *B* de amore puerili scripti sunt.

## IV.

Quoniam tot et tantas similitudines cognovimus, dubitare iam non possumus, quin arctissime hi duo libri inter se cohaereant. Qualis autem ratio inter eos intercedat, cognosci non potest, nisi antea exposuimus, quomodo liber *A* compositus sit.

Qua de re permulta iam viri docti excogitaverunt et conscripserunt, qui quamquam saepe maxime inter se dissentiunt, tamen magis magisque id omnes probare videntur, versus repetitos summi momenti esse ad cognoscendam naturam totius collectionis.

### a.

Difficultatem, quam hae crebrae repetitiones praebent, Nietzsche in dissertatione, quae inscribitur: Zur Geschichte der Theognideischen Spruchsammlung, Mus. Rhen. vol. 22 pag. 161 ss solvere studuit, qui vir doctus singulas elegias ita connexas esse putat, ut vocabulum quoddam alterius idem vocabulum in altera excipiat. Etsi negari non potest in quibusdam partibus libri Theognideorum tale consilium in adornanda dispositione apparere, quod iam supra pag. 7 concessi, tamen modum mihi excedere videtur ille vir doctus, si pag. 172 l. c. haec dicit: Dem Redaktor lag eine bestimmte Masse von Theognideischen Fragmenten vor, die er nun in seiner Weise zu einem Ganzen machen wollte. Sehr oft aber fehlte ihm ein Fragment mit dem verbindenden Worte; er griff dann zurück zu den schon gebrauchten, der Sammlung schon eingereihten und führte es noch einmal vor. Dabei stand es in seiner Hand, in der Wiederholung einige Varianten anzubringen; er that es oft, bald mehr oder weniger geschickt, aber er that es nicht immer. Das

wichtigste war für ihn der ungestörte Fluss des Ganzen, den eine Wiederholung nicht unterbrach, den ein fehlendes Stichwort zerriss. Si enim ita res se haberet, ut ab eo, qui librum *A* composuit, disticha repetita ob eam causam in textum recepta sint, ne desideraretur illud vocabulum, quod nostra lingua dicimus »Stichwort«, exspectandum esset in omnibus versibus repetitis inesse illud vocabulum, quod idem vocabulum antecedentis aut sequentis elegiae excipiat. Quam rem minime ita se habere Fritzsche Philol. vol. 29 pag. 531 ann. 2 optime exposuit Accedit id quoque, quod dum in priore parte libri *A* repetitiones satis rarae sunt, intra v. 1038 et 1185 non minus quam 59 versus repetiti leguntur.

### b.

Quam ab rem recentiores viri docti recte Nietzschii de versibus repetitis sententiam reiciendam esse censuerunt et aliter difficultatem tollere studuerunt, cum ex duabus syllogis nostram collectionem coaluisse dicerent. Quam sententiam primus quantum scio, H. Schneidewin in dissertatione, quae inscribitur: de syllogis Theognideis (Argentorati 1878) uberius comprobare studuit. qui pag. 11. l. c. dicit: inter versum 878 et 1038 novae collectionis initium intercessisse suspicamur. Retractavit postea hanc quaestionem G. Studemund in commentatione praemissa indici lectionum universitatis Vratislaviensis 1889/90, cuius sententiam accuratius examinemus.

Putat vir doctus nostrum librum *A* redire ad duo antiqua florilegia et incisionem faciendam esse post versum 932. Nostrum autem Theognideorum librum *A* continuisse quattuor quiniones sive *πεντάδια,* ex quibus tres prius florilegium comprehendiss e quartum ad posterius florilegium pertinuisse; cepisse autem singulas paginas utriusque florilegii senos denos versus. Continebant igitur secundum Studemundii opinionem quattuor illi fasciculi, primo folio primi quinionis ad titulum libri capessendum vacuo relicto, 1248 versus. Cum autem in optimo codice *A* praeter 1220 versus editionis Bergkianae 36 versus repetiti legantur, quos Bergkius omisit, quattuor disticha repetita postea in librum nostrum irrepsisse necesse est. Quod Studemund quoque

concedit, qui pag. 37 l. c. dicit esse ea disticha haec: v. 209—10, 211—12, 643—44, 1160a—b, quae disticha a docto aliquo lectore in marginibus codicis archetypi, ex quo omnes nostri Theognideorum libri fluxerint, adscripta postea a librariis in versuum contextum recepta esse censet, quod eo facilius fieri potuisse dicit, quia haec quattuor disticha in confinio foliorum legantur. Sed sunt nonnulla, quae in hac viri docti sententia me offendant. Primum enim libentissime dicit Studemund fasciculos utriusque florilegii fuisse quiniones non quaterniones. At putat pag. 40 l. c. se etiamsi quaterniones statuisset, potuisse „probabiles indicare vias ad originem falso intra idem florilegium repetitorum distichorum explicandam. Sed etiamsi hoc ei concedimus, tamen causa Studemundio afferenda erat cur putaverit fuisse in singulis paginis illorum veterum codicum senos denos versus. Quod cum nihil sit nisi coniectura satis libidinosa facta, ut mihi videtur, quo disticha illa quattuor repetita 209—10, 211—12, 643—44, 1160 a b, quae tam incommoda Studemundio occurrunt, in confinio foliorum locum obtineant, tota argumentatio ad irritum cadit.[1]) Fac e. gr. fuisse non 16 sed 18 versus in singulis paginis, en habes probatis omnibus ceteris, quae Studemund affert, 18 · 78 = 1404 versus, dum in nostro libro optimo Mutinensi non plures quam 1256 versus leguntur.

Sed iam mittamus hanc Studemundii sententiam de loco, quo incisio inter duas gnomologias sit facienda. Omnino enim opinio eorum, qui ex duabus collectionibus librum *A* consutum esse existimant, quamquam sunt plurimi iique doctissimi viri, reiciendam esse censeo. Nam quantae difficultates eorum sententia accepta remaneant, neminem fugere potest. Ubi-

---

[1]) Mirum hoc quoque mihi videtur, quod Studemund versus 209—10 et 211—12 hoc priore loco in archetypo codicum nostrorum in marginem adscriptos esse putat non in posteriore post v. 332 et v. 508. (cf. tabulam a Studemundio pag. 38 l. c. compositam). Equidem causam nullam invenire potui, cur doctus ille lector, de quo Studemund pag. 39 agit, hoc ipso loco duo illa disticha insereret, cum et quae antecedunt et quae sequuntur, minime iis similia sint.

cumque enim incisionem facimus, restant in utraque collectione quaedam disticha, quae in eodem sylloge bis leguntur. Non igitur viri docti, qui hoc modo versuum repetitiones explicare student, quod volunt assequuntur, nisi forte non ex duobus sed ex compluribus florilegiis nostrum librum coaluisse statuunt. Si enim omnes in eadem collectione repetitiones removere volumus, incisio facienda est inter v. 210 et v. 332[1]), secunda inter 854 et 1038, tertia inter 1096 et 1160[2]). Accedit, quod unum distichon ter in libro *A* occurrit.[3]) Quae uno res nos cogeret, ut ex tribus collectionibus nostrum librum compositum esse statuamus.

**c.**

Quoniam sic nec Nietzschii sententia nec hac, de qua adhuc egimus, plurimorum virorum doctorum ratione difficultatem, quam praebent versus repetiti, dissolvi posse ostendimus, iam tertiam, quae reliqua est, sententiam de his versibus examinemus, quam protulit H. Jordan in quaestionibus Theognideis praemissis indici lectionum Universitatis Regimontanae 1885/86. Qui vir doctus codicum lectiones, quae sunt in versibus repetitis accuratissime perlustrans invenit eas saepissime inter se differre et multo peiores esse plerumque iis locis, ubi versus iterum legantur. Qua ex re concludit vir doctus interpolatori has lectiones deberi, de quo pag. 15 l. c. haec habet: »praeterea docuimus auctorem harum iterationum suopte consilio eoque pessimo traditam archetyporum scripturam immutasse, partim solo ductum variandi pruritu, partim quod proprietatem vocabulorum sententiarumque, hebeti ille praeditus sensu, sermonisque antiquioris parum gnarus, iusto minus intellexit. Eius hominis operam commune omnium codicum archetypon, quod saeculo decimo antiquius fuerit, integram exhibuerit oportet, repraesentavit autem integram is quem solum vidimus cum fide archetypi imaginem expressisse scriptor libri parisini, paulo imminutam vaticani.«

---

[1]) vel potius inter v. 212 et 332, nam cum v. 211—12 idem sint ac v. 509—10, nisi eos prioribus adiungimus, inter v. 332 et 509 novam incisionem facere cogimur.

[2]) vel potius post 1106, nam v. 1105—6 repetuntur post 1164.

[3]) v. 417—18 = 1105—6 = 1164 g—h.

Post Jordanum eandem quaestionem retractavit Fr. Cauer in studiis Theognideis[1]) qui vir doctus etsi Jordani opinionem paulo circumscribendam esse putat, tamen in universum iudicium eius probat, cum dicat pag. 541 l. c.: Die Betrachtung der Stellen, welche zugleich im ersten und zweiten der von Schneidewin statuierten Abschnitte überliefert sind, hat in den meisten Fällen dazu geführt, den Lesarten des ersten Abschnitts den Vorzug zu geben. Sed iam ipsi singulos versus examinemus, quo cognoscamus, quid de iis iudicandum sit.

In v. 39 32, qui iterantur post v. 1082 pro v. 40 *εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης*, legitur altero loco: *ὑβριστήν χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος*. Recte mihi Jordan l. c. pag. 12 variam lectionem interpretatus esse videtur, cum dicat interpolatorem, quem ille diorthotam appellat, quod vocabulum inusitatum *εὐθυντήρ* eum offenderet, totum versum transformasse. Quam perperam autem ille sensum vocabuli *εὐθυντήρ* intellexerit, facile cognoscimus, nam cum priori loco hic sensus revera insit: timeo ne oppidum tyrannum gignat, qui nostram malam licentiam domiturus sit, ille scripsit: timeo ne oppidum tyrannum gignat, nefarium hominem, qui gravis discordiae auctor futurus sit. Multo probabilior mihi haec interpretatio Jordani videtur quam Reitzensteinii, qui pag. 61 libri saepius citati a diversis poetis has elegias compositas esse contendit qui de republica instituenda diversas sententias haberent. Nec Jordani opinioni obstant, quae Cauer l. c. pag. 533 de eisdem versibus affert.

Proximis duobus distichis repetitis, v. 57—60 = 1109—10 et 1113—14, hoc est proprium, quod interpolator tertium distichon iis inseruit reliquis non parum immutatis. Egit de his quoque elegiis Reitzenstein l. c. pag. 62, cuius interpretatio elegiae 53—60, quae est pag. 62 ann. 1, mihi accipienda esse videtur; sed nimis magni virum doctum eum aestimare puto, qui v. 1109—14 conscripsit, cum hos versus antiquo poetu tribuat, de quo pag. 64 dicit: Welcher Sentenzen des Theognis für andere politische Verhältnisse und vielleicht

[1]) in Philol. vol. 50 pag. 529 ss.

für eine andere Stadt zurechtschnitt. Qua de causa Jordano astipulor, qui lectiones varias et distichon insiticium, cuius naturam Reitzenstein pag. 63 recte describit his verbis: »der matte Zusatz τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας τιμῆς und mehr noch der Flickvers μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ«, quae optime consentiunt cum iis, quae Cauer pag. 533 de eisdem versibus habet, diorthotae, quem dicit, tribuit. Hoc solum addam versum illum μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ facile fieri potuisse ex Theognideis 189—90 καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν, καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ, quod adhuc viros doctos fugisse videtur.

In v. 87—90, qui post 1082 repetuntur, posteriore loco ab interpolatore in v. 87 genuinum ἄλλῃ in ἄλλας, in v. 89 genuinum ἤ με φίλει in ἀλλὰ φίλει, in v. 90 vocabulum inusitatum ἀμφαδίην in vile ἐμφανέως mutatum esse Jordan recte iudicat, quocum consentit Cauer pag. 535.[1])

V. 213—18 ob eam causam digni sunt, quos afferam, qui altero loco v. 1071—74 interpolator pro τοτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου scripsit τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν, quippe quia vocabulum χρόα omissis versibus 215—16 intellegi non poterat.

V. 415—18, quales sunt hoc priore loco, optime intellegi possunt, cum quales sunt posteriore loco post v. 1164, sensum non praebeant. Sed fortasse Cauero assentiendum est, qui pag. 539 l. c. dicit lectionem falsam παρατριβόμενός τε pro παρατρίβομαι ὥστε[2]) librario tribuendam esse, qui errore in distichon 1105—6, quod est nostro simillimum, incideret. Cum autem mea quidem sententia etiam v. 1105—6 ad exemplum versuum 417—18 a diorthota illo sive diasceuasta facti sint, haec ipsa duo disticha optimo argumento sunt, quam temere ille homo genuinos versus poetae immutaverit. Plane autem reicienda mihi videtur Schneidewini

---

[1]) Quod dico Cauerum cum Jordano consentire, non ita accipiendum est, quasi Cauer quoque varias lectiones interpolatori illi Jordani tribuat. Nihil aliud dicere volo nisi Cauerum quoque lectiones prioris loci praeferendas censere.

[2]) leviores sunt aliae diversitates οὔτιν' pro οὐδέν et νόος, quod habet cod. O pro λόγος.

sententia, qui pag. 20 dissertationis suae putat versus 1105--6 coniunctos cum versibus 571—72, qui in codicibus ante 1105 repetuntur, ex antiquiore et meliore archetypo fluxisse. Omnino eum fugisse videtur genuinam formam distichi, ad cuius exemplum v. 1105--6 facti sunt, extare in elegia 415—18. Si autem omnino haec duo disticha 571—72 et 1105—6 coniungenda sunt, certe non a poeta ipso sed a diorthota illo non apte composita sunt.

Restat una tantum complurium versuum elegia, quae bis in libro *A* occurrit v. 441—46 et v. 1162a—f. Varias posterioris loci lectiones *ἐπίδηλον* pro *ἐπίδηλος*, *θυμὸν ὅμῶς μίσγειν* pro *θυμὸν ἔχων μίμνειν* ingenio diorthotae, qui sensum versuum 441—46 non recte intellexerit, deberi optime explicavit Jordan[1]), nisi quod mea quidem sententia verba *ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς τολμᾷ ἔχων τὸ κακὸν, κ'ουκ ἐπίδηλος ὅμως* non recte interpretatus est. Vertit enim ea in latinam linguam hoc modo vir doctus: »inter homines bonos pravosque hoc ait interesse, ut boni vel malum infortuniumve fortiter sustineant, ne laudis quidem illi exanclati laboris cupidi, at pravi e. q. s.« Ego lucem afferri posse nostro loco ex versibus Theognideis 359--60 credo, ubi leguntur haec:

*Μηδὲ λίην ἐπίφαινε· κακὸν δέ τε, Κύρν' ἐπιφαίνων*
*παύρους κηδεμόνας σῆς κακότητος ἔχεις.*

Cum non dissimile sit hoc distichon nostro loco, hunc ei sensum inesse existimo: vir bonus fortiter malum sustinet, nec tamen omnibus perspicuum est eum versari in rebus adversis.

Iam examinemus singula disticha repetita. V. 209—10 iterum occurrunt post 332. Interpolator posteriore loco pro comparativo illo gravissimo *ἀνιηρότερον* posuit superlativum, quia putabat se vim sententiae superlativo augere posse, cum revera maxime eam debilitaret, cf. Cauer l. c. pag. 531 et Jordan l. c. pag. 10.

De versibus 115—16, qui post 642 hexametro liberiore

---

[1]) Cauero, qui putat genuinam lectionem esse *θυμὸν ἔχων μίσγειν*, assertire non possum, non enim accusativum *θυμὸν* simul ad *ἔχων* et ad *μίσγειν* referri posse existimo.

ratione immutato repetuntur, nihil certi statuere audeo, quamquam v. 92 Pseudophocylideorum lectionem priore loco servatam commendare videtur.

Difficilior est quaestio de v. 211—12, qui paulum immutati recurrunt 509—10, qua de causa maxime doleo, quod Jordan omnino de iis non egit. Auget autem difficultatem, quod viri docti non consentiunt, quid in cordice Mutinensi scriptum sit. Leguntur autem versus 211—12 in editione quarta Bergkiana sic:

*Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτόν*
*πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακός, ἀλλ' ἀγαθός.*

Annotat Bergkius in codicibus *A* et *O* legi *πολὺν*, quocum consentit collatio codicis *A* a Presselio facta (Philol. vol. 29 pag. 547) et collatio codicis *O* a Studemundio facta (ind. lect. univ. Vrat. 1889/90 pag. 12) non consentit Ziegler, qui ad v. 211 annotat solum codicem *O* habere *πολύν*. Sed quoquo modo res se habet, sive codicibus sive virorum doctorum coniecturis debetur lectio *πουλόν*, certe versus ratio eam postulat. Oritur igitur, quaestio, num versus, quales nostro loco leguntur, sensum praebeant, quod Cauer l. c. pag. 532 negat, cum dicat: wie sollte jemals Grüneberger deshalb zu Rauenthaler werden, weil man ihn mit Verstand trinkt? Facete quidem ille haec dicit, sed non recte, ut mihi videtur, nam si poeta dicit *οὐ κακός, ἀλλ ἀγαθός*, non de vini qualitate agit, sed hoc dicit vinum non nocere homini, qui modice id bibat. Qua de causa, cum bonum sensum nostris versibus inesse putem, nec intellegiam, cur lectio, quae est in posteriore loco nostrae praeferenda sit,[1]) in his versibus in dubio rem relinquendam esse censeo. Reicienda autem mihi videtur Caueri sententia, qui putat in v. 509 codicem Vaticanum, in quo pro *πουλός* legitur *πολλοῖς*, genuinam lectionem servasse, cum haec dicat: Wahrscheinlich ist die Lesart des Vatikanus die ursprüngliche, durch welche die aristokratischen Weinkenner der verständnislosen Masse der Trinker gegenübergestellt werden. Non aliter de hac viri

---

[1]) **Bergkius ad v. 509—10 annotat: »simillimi versus 211 - 12 aperte ex his detorti«, sed causas non attulit..**

docti opinione iudicandum esse puto quam de ea quam supra attuli. Sed iam haec ut satis tractata mittamus.

De versibus 367—68, qui post 1184 repetuntur, Jordan et Cauer dissentiunt, cum ille priore, hic posteriore loco genuinam lectionem extare contendat. Nec negari potest argumenta a Cauero allata alicuius momenti esse. Sed hoc mihi vir doctus neglexisse videtur, quod posteriore loco distichon nec cum antecedentibus nec cum sequentibus ullo modo cohaeret[1]), priore autem loco cum sequente unam elegiam efficit. Dubitari igitur non potest, quin distichon v 367—68 genuinum locum obtineat.

De versibus 409—10, qui immutati recurrunt v. 1161—62 Jordan non egit, Cauer l. c. pag. 537 s et Bergk in editione uberius disseruerunt. quorum ille collata ea distichi forma, quae apud Stobaeum legitur, veram lectionem sibi invenisse videtur, hic priore loco genuinam lectionem extare putat. Quam rem cum equidem diiudicare non audeam, hoc statuere satis erit versus 409—10 sensum praebere, versus 1161—62 omnino intellegi non posse, quod ne Cauer quidem negat. Qua de causa posteriorem locum ex priore detortum esse crediderim, sed hoc concedo olim priore quoque loco aliam lectionem in archetypo fuisse, ex qua et v. 409—10 et v. 1161—62 fluxerint In versibus 555—56, qui repetuntur post 1178, priore loco genuinam lectionem exstare Jordan et Cauer consentiunt, quorum argumentis nihil addendum esse puto.

Versus 571—72, qui post 1104 repetuntur, utroque loco idem sunt, nisi quod posteriore loco in pentametro pro

---

[2]) Cum antecedente disticho v. 1183—84

*Οὐδένα, Κυρν᾽, αὐγαὶ φαεσιμβρότου ἠελίοιο*
*ἄνδρ᾽ ἐφορῶσ᾽, ᾧ μὴ μῶμος ἐπικρέμαται*

Brunckius v. 367—68 coniungere voluit, quod fieri non potest. Quomodo enim poeta postquam dixit: nemo ab omni vituperatione vacuns est, pergere potest: sed civium animos non intelligo, quibus nec beneficiis nec maleficiis placere possum. Sic ei si omnino haec duo disticha coniungere volebat, scribendum erat: Nemo vituperatione vacat, sic me quoque cives vituperant. Sed haec sententia non inest in his duobus distichis.

ἀγαθῶν legitur ἀγαθοί, quod sensum non praebet. Priore igitur loco meliorem lectionem servatam esse constat.

Versus 619 - 20, qui post 1114 repetuntur, ab interpolatore immutatos esse, quod vocabulum ἄκρην non intellegeret, recte Jordan pag. 11 demonstravit. Hoc tamen Cauero, qui pag. 540 dicit: in der Lesart ἄκρην γὰρ πενίης ist die ursprüngliche Endung ης durch den Einfluss des vorhergehenden ἄκρην verwandelt worden[1]), concedo ne priore quidem loco ipsius poetae verba servata esse. Sed probare non possum, quod eodem loco addit: Crüger zieht die letztere Lesart (quae est post 1114) wohl mit Recht vor, weil sich in ihr die Partikel δέ erhalten hat, welche einen einstigen Zusammenhang dieser Verse mit anderen verrät. Si enim particulam δέ in textum recipimus, praepositio ἐν, quae priore loco tradita est, eicienda est, quod mea quidem sententia fieri non potest.

Summi momenti sunt versus 853 - 54 repetiti post 1038, quos integros adscribo:

Ἤιδεα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώια δὴ νῦν,
οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἔστι χάρις.

Sic nunc in editionibus legitur, nec dubitari potest, quin recta sit lectio, sed coniecturae ea debetur, nam priore loco in codice *A* legitur Ηδεα (spiritus et accentus erasus annotat Bergk) in reliquis libris Ἡδέα, quod idem in codicibus *A* et *O* posteriore loco recurrit, quamquam sensum nullum praebet, nam quae in libris manuscriptis leguntur: suave iam antea erat, sed nunc multo melius, quod malis hominibus gratia non inest, plane inepta esse nemo negabit. En habemus locum, ex quo a diorthota illo, qui versuum sensum non perspexerat, antiquum vitium in posteriorem locum transcriptum est; talem enim lectionem, quae omnino intellegi non potest, in duabus diversis collectionibus eodem modo traditam fuisse credere non possum[2]).

---

[1]) in ἄκρην γὰρ πενίην, quod v 620 in codicibus est.

[2]) Priore loco olim genuinam lectionem exstitisse ex verbis λώια δὴ νῦν cognosci posse Cauer pag. 541 demonstravit.

In versibus 877 78, qui recurrunt post 1070, verba ἥβα μοι φίλε θυμέ ab interpolatore mutata esse in τέρπεο μοι φίλε θυμέ, quod verbum ἡβάω, cui sensus gaudendi non inesse solet, eum offenderet, Jordan pag. 11 docuit. Similiter de his versibus Bergk et Cauer egerunt.

Quoniam sic omnes versus repetitos perlustravimus, iam hoc dicere licet: Nunquam ita res se habet, ut necessario concedendum sit in versibus repetitis posteriore loco meliorem lectionem exstare; duobus fortasse locis v. 115—16 et 211—12 dubitari potest, utrum priore an posteriore loco melior lectio servata sit, reliquis omnibus locis priore loco meliorem lectionem exstare et ad eius exemplum versus repetitos a diorthota illo transformatos esse comprobasse mihi videor. Cum igitur constet ex ipsis Theognideis versibus antecedentibus versus repetitos ab interpolatore sumptos esse[1]), reliqua est quaestio, quam causam habuerit ille homo iterandorum versuum et cur his ipsis locis, ubi nunc exstant, iterum eos in textum receperit.

V.

Est autem totius libri *A* conditio ea, ut quamquam singulae elegiae nullo certo sententiarum connexu contineantur et saepissime carmina diversissimi argumenti coniungantur, tamen in nonnullis partibus libri idem argumentum quasi praevaleat, ut e. gr. poeta in versibus 1—18 deos invocat, in v. 39 – 60 Cyrnum adhortatur, ut praeceptis suis pareat, v. 61—128 docet, qua ratione amici eligendi sint, v. 129 – 172 de deorum et fortunae potentia, v. 173—208 de divitiis, v. 467—510 de vino, v. 667—730 iterum de divitiis agit. Ita in ea quoque parte libri Theognidei, quae versus 949 – 1184 a b continet, in quibus sunt plurimae repetitiones si non omnes, tamen permultae elegiae eandem indolem prae se ferunt, ut eorum argumentum in tota hac libri parte praevaleat. Iam singula inspiciamus, quo rem melius cognoscamus:

---

[1]) Nam duos illos locos, quos dubios esse concessi, nihil valere, si comparantur cum magno numero reliquorum, in quibus ars et ratio diorhotae apparet, nemo negabit.

In v. 949—54 agi de re venerea iam supra pag. 9 s. exposui. Nec aliam rem in v. 959—62 poetam spectare persuasum habeo, quos Welckerus quoque inter musam paedicam, quam dicit, recepit. Versibus sequentibus 963—70 utrum poeta puerum amatum an alium amicum alloquator diiudicare non audeo. In sequento disticho agitur de usu quodam conviviorum. In v. 973—78 poeta dicit se mortis memorem genio indulturum esse, nec minus in elegia 983—88 sodales adhortatur, ut voluptatibus et delectationibus se debant, dum aetas sit integra. Disticho sequente sodalem, cuius nomen non affert, monet, ut conviviis intersit, neve si quid eum offenderit, aliis ostendat. In proxima elegia Academum quendam ad certamen musicum de puero pulchro provocat. Sequente carmine iterum amicos ad convivium invitat. Versibus 1007—12 idem fere sensus inest atque versibus 973—78 aut 983—88. Nec dissimilis est sententia v. 1017—22, quibus poeta queritur, quod tam celeriter iuventus praetereat. V. 1039—40 ii vituperantur, qui vinum spernunt, v. 1041—42 et 1047—48 ad bibendum invitat poeta, de comissatione scriptum est distichon 1045—46. V. 1055—58 poeta amicum adhortatur, ut serviore sermone omisso tibia sibi canat. Elegia, quae v. 1063—68 continet, poeta delectationes describit, quas iuventus praebeat. Simile est argumentum proximi distichi.

Versus sequentes, in quibus creberrima disticha repetita occurrunt, quae pervissima pertinacia editores omittunt, integros omnes, quos codex Mutinensis exhibet adscribo, quo veram huius codicis imaginem lectori praebeam, quam ex editionibus, quae adhuc in manibus nostris sunt, sibi fingere non potest. Quoniam autem hoc solum in animo mihi est, ut lector cognoscat, quale sit argumentum huius partis libri *A*, codicum lectiones hic non curabo, praesertim cum de versuum repetitorum lectionibus iam supra uberius egerim.

| | |
|---|---|
| idem ac 877—78 | 1070 a. *Τέρπεό μοι, φίλε θυμέ, τάχ' ἄν τινες ἄλλοι ἔσονται* |
| | b. *ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' μέλαιν' ἔσομαι;* |

idem ac 213—14

1071. Κύρνε, φίλους πρὸς πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος
συμμίσγων ὀργὴν οἷος ἕκαστος ἔφυ.

idem ac 217 - 18

νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν·
κρείσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.

1075. Πρήγματος ἀπρήκτου χαλεπώτατόν ἐστι τελευτὴν
γνῶναι, ὅπως μέλλει τοῦτο θεὸς τελέσαι.
ὄρφνη γὰρ τέταται· πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι
οὐ ξυνετὰ θνητοῖς πείρατ' ἀμηχανίης·
Οὐδένα τῶν ἐχθρῶν μωμήσομαι ἐσθλὸν ἐόντα,

1080. οὐδὲ μὲν αἰνήσω δειλὸν ἐόντα φίλον.

idem ac 39--42

1081 a. Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
b. ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος·
1082 a. ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔασι σαόφρονες, ἡγεμόνες δέ.
b. τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.

idem ac 87--90

1082 c. Μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλας.
d. εἴ με φιλεῖς καὶ σοι πιστὸς ἔνεστι νόος,
e. ἀλλὰ φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ' ἀποειπὼν
f. ἔχθαιρ' ἐμφανέως νεῖκος ἀειράμενος.
Οὕτω χρή τόν γ' ἐσθλὸν ἐπιστρέψαντα νόημα
ἔμπεδον αἰὲν ἔχειν ἐς τέλος ἀνδρὶ φίλῳ.

1085. Δημῶναξ, σοὶ πολλὰ φέρειν βαρύ· οὐ γὰρ ἐπίστῃ
τοῦθ' ἔρδειν, ὅτι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ,
Κάστορ καὶ Πολύδευκες, οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ
ναίετ' ἐπ' Εὐρώτᾳ καλλιρόῳ ποταμῷ,
εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακόν, αὐτός ἔχοιμι·

εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοί, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.
Ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σῆς φιλότητος·
οὔτε γὰρ ἐχθαίρειν οὔτε φιλεῖν δύναμαι,
γινώσκων χαλεπὸν μέν, ὅταν φίλος ἀνδρὶ γένηται,
ἐχθαίρειν, χαλεπὸν δ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖν.

idem ac 1160 a b

Σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη
τοῦθ' ἕρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.
Ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι ὥστε πετεινὸν
ἐκ λίμνης μεγάλης, ἄνδρα κακὸν προφυγών,
βρόκχον ἀπορρήξας· σὺ δ' ἐμῆς φιλότητος ἁμαρτὼν
ὕστερον ἡμετέρην γνώσῃ ἐπιφροσύνην.

recurrunt post 1278

Ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι, καί σ' ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ' ἡμετέρην φιλίην.
Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα
καὶ Σμύρνην. πάντως, Κύρνε, καὶ ὔμμ' ἀπολεῖ.

idem ac 571—72

1104 a. Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα. πεῖρα δ' ἄριστον·
b. πολλοὶ ἀπείρητοι δὸξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν.

idem fere ac 417—18 et 1164 g—h

Ἐς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολύβδῳ
χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ.

recurrunt in *B* post 1318

Ὤ μοι ἐγὼ δειλός· καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχθροῖς,
τοῖς δὲ φίλοισι πόνος δεινὰ παθὼν γενόμην.

idem ac 57—58:

Κύρν', οἱ πρόσθ. ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί. οἱ δὲ κακοὶ πρὶν
1110. νῦν ἀγαθοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν,
τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας
τιμῆς; μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ.

idem ac 59—60:

ἀλλήλους δ' ἀπατῶντες ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶσιν,
οὔτ' ἀγαθῶν μνήμην εἰδότες οὔτε κακῶν.

idem ac 619—20:

1114 a. Πόλλα δ' ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι αχνυμενος κῆρ·
b. ἀρχὴν γὰρ πενίης οὐχ ὑπερεδράμομεν.

1115. Χρήματ' ἔχων πενίην μοι ὀνείδισας· ἀλλὰ τὰ μέν μοι
ἔστι, τὰ δ' ἐργάσομαι θεοῖσιν ἐπευξάμενος.

facti ad exemplum v. 1365—66:

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ.

Iam videmus ex his 30 distichis duodecim ex antecedentibus repetita esse (1070 a, b, 1071—74, 1081 a—82 b, 1082 c, f, 1101—2, 1104 a—b, 1105—6, 1109—10, 1113—14 1114 a—b) duo postea in libro *A* repetita esse (1095—96 et 1105—6), duo in libro *B* repetita esse (1101—2 et 1107—8), unum (1117—18) factum esse ad exemplum distichi libri *B*. Ex reliquis quattuordecim distichis non minus quam septem (1083—84, 1087—90, 1091—94, 1097—1100) de amicitia scripta sunt, ex quibus imprimis duae elegiae 1091—97 et 1097—1100 et argumento et stilo carminibus libri *B* simillimae sunt.

In versibus, qui sequuntur a v. 1119 usque ad v. 1160, ex libro *A* nulli versus repetuntur, unum solum distichon 1151—52 in libro *B* quoque occurrit, sed sunt argumento

iis simillimi, quorum sententias supra pag. 29 exposui. In elegia 1119—22 poeta a deis petit, ut iuventutis flore uti possit, in proxima ab amico petit, ne malorum et laborum, quae permulta perpessus sit, se admoneat. Nec minus in sequente carmine dicit se paupertatem suam et odium inimicorum non curare, sed id solum dolere, quod iuventus tam celeriter effugiat. Proximi distichi 1133—34 lectio quamquam aperte corrupta est, tamen perspicuum est hoc fere poetam dicere se rerum adversarum finem facturum esse. Quocum optime congruit longius carmen, quod sequitur, quo eximiis laudibus spes effertur. Disticho 1153—54 poeta divitias et vitam curis vacuam sibi optat, cum in sequente dicat contentum se esse, si modo liceat modicis bonis frui.

Versus qui post 1160 sequuntur, quia in iis crebriores repetitiones insunt, non minus quam v. 1070 a—1118 integros adscribendos esse censeo. Sunt autem hi:

| | |
|---|---|
| idem ac 1095—96 | 1160 a. *Ὦ νέοι, οἱ νῦν ἄνδρες, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη*<br>b. *τοῦθ᾽ ἔρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.* |
| idem ac 409—10 | *Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·*<br>*αἰτοῦσιν δ᾽ ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου.* |
| idem ac 441—46 | 1162 a. *Οὐδεὶς γὰρ πάντ᾽ ἐστὶ πανόλβιος· ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐσθλός*<br>b. *τολμᾷ ἔχων τὸ κακόν κ᾽ οὐκ ἐπίδηλον ὅμως·*<br>c. *δειλὸς δ᾽ οὔτ᾽ ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν*<br>d. *θυμὸν ὁμῶς μίσγειν· ἀθανάτων δὲ δόσεις*<br>e. *παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπερχοντ᾽, ἀλλ᾽ ἐπιτολμᾶν*<br>f. *χρὴ δῶρ᾽ ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν ἔχειν.* |

*Ὀφθαλμοὶ καὶ γλῶσσα καὶ οὔατα καὶ νόος ἀνδρῶν*
*ἐν μέσσῳ στηθέων ἐνσονετοῖς φύεται.*

idem ac 97—100

1164 a. *Τοιοῦτός τοι ἀνὴρ ἔστω φίλος, ὃς τὸν ἑταῖρον*
b. *γινώσκων ὀργὴν καὶ βαρὸν ὄντα φέρει*
c. *ἀντὶ κασιγνήτου, σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ*
d. *φράζεο, καί ποτ' ἐμοῦ μνήσεαι ἐξοπίσω.*

idem ac 415—18

e. *Οὔτιν' ὁμοῖον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν*
f. *πιστὸν ἑταῖρον, ὅτῳ μή τις ἔνεστι δόλος.*

idem ac 1105—6

g. *ἐς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολύβδῳ*
h. *χρυσός, ὑπερτερίης ἄμμιν ἔνεστι λόγος.*

In versibus 1165—78 nulla disticha repetita leguntur.

idem ac 555—56

1178 a. *Τολμᾶν χρὴ χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσιν ἦτορ ἔχοντα,*
b. *πρός τε θεῶν αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων.*

*Κύρνε, θεοὺς αἰδοῦ καὶ δείδιθι' τοῦτο γὰρ ἄνδρα*
1180. *εἴργει μήθ' ἔρδειν μήτε λέγειν ἀσεβῆ*
*Δημοφάγον δὲ τύραννον, ὅπως ἐθέλεις, κατακλῖναι*
*οὐ νέμεσις πρὸς θεῶν γίνεται οὐδεμία.*
*Οὐδένα, Κύρν, αὐγαὶ φαεσιμβρότου ἠελίοιο*
*ἄνδρ' ἐφορῶσ', ᾧ μὴ μῶμος ἐπικρέμαται.*

idem ac 367—68

1184 a. *Ἀστῶν δ' οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅν τιν' ἔχουσιν·*
b. *οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.*

Quodsi quis hos omnes versus a 949 usque ad 1184 b, quorum alios integros adscripsi, aliorum sententiam leviter quasi adumbravi, accuratius inspexerit, facile cognoscet hanc partem libri *Α* non solum creberrimis iterationibus insignem esse, sed etiam propriam quandam speciem habere, cum nulla alia

totius libri parte poeta, quicunque fuit, tam saepe de voluptatibus et delectationibus, tam saepe de iuventutis flore et convivorum gaudiis non sine levitate quadam et lascivia agat. Nec praetermittendum mihi videtur esse, quod iam supra pag. 32 monui, admodum multos ex his versibus de amicitia scriptos esse, ex quibus imprimis v. 1091—94 et 1097—1100 carminibus libri *B* simillimos esse demonstravi, quibus addas duas alias elegias v. 993—96 et 1063—68 continentes, quarum ex utraque cognoscitur amorem puerilem minime alienum esse ab eo poeta, qui haec carmina conscripsit. Addas praeterea, quod in hac eadem libri *A* parte non minus quam quatuor ex quinque distichis, quae in libro *B* quoque leguntur, occurrunt uno excepto disticho 597—98[1]). Quae omnia cum cogitarem, in mentem mihi venit nova ex ipsa huius partis libri conditione petita ratio solvendae difficultatis, quam versus repetiti praebent. Mea quidem sententia olim passim in libro *A*, imprimis autem in hac nostra parte, scripti erant versus amatorii libri *B*, postea ab homine non nimis docto separati sunt a ceteris et in eorum locum ex ipsis Theognideis eis versus, qui nunc, aut non mutati aut plus minusve mutati repetuntur substituti sunt.

Quae mea sententia etsi fortasse primo obtutu alicui mira et nova videbitur, tamen nemo negabit multum nos accepta hac opinione proficere in cognoscenda natura duorum librorum, qui Theognidis nomen ferunt. Primum enim omnes similitudines, quas inter hos libros intercedere pag. 17 s demonstravi, multo facilius explicari possunt, si olim elegiae duorum librorum non seiunctae erant, sed inter se mixtae unam collectionem efficiebant. Ne illa quidem quinque disticha, quae nunc et in libro *A* et in libro *B* leguntur, ullam difficultatem praebent; facile enim fieri potuit, ut diorthota ille cum primum Theognidea perlustraret, quo versus amatorios a ceteris separaret, hos versus ad puerilem amorem pertinere

---

[1]) **Monendum mihi videtur esse non solum disticho his versibus antecedente, quod arctissime cum nostro coniungendum esse supra pag. 5 ss. exposui, poetam puerum amatum alloqui sed etiam sequentem elegiam simillimam essse elegiis libri B.**

non animadverteret[1]), postea cum rem accuratius examinaret et naturam eorum cognosceret, libro *B* ea insereret. Duo autem illa disticha 301—2 et 1117—18, quae pag. 10 ss ad exemplum versuum 1353—54 et 1365—66 facta esse exposui, non sententiae meae obstant, sed maxime eam comprobant; nam nunc iam cognoscimus, quam ob causam et a quo homine illi versus in libro *A* tantopere immutati sint. Praeterea mea sententia probata omnium iterationum quotquot in libro *A* occurrunt, causa inventa est, nec ulla reliqua est, quae difficultatem praebeat[2]). Quin etiam novo argumento ex ipso numero repetitorum versuum petito sententiam meam tueri conabor, si antea pauca exposuero de numero horum versuum, qui est in singulis codicibus diversissimus.

Egit autem uberius de hac re F. Nietzsche pag. 166 ss. libri saepius laudati, qui vir doctus primus quantum scio exposuit, quomodo omnes codices ab J. Bekkero collati inter se cohaereant. Etsi autem in eo schemate, quod pag. 166 lectori proponit, hic error inest, quod codicem Venetum *K* item ac codicem Vaticanum *O* ex eo codice, quem Nietzsche X, significat, fluxisse putet, cum re vera ex codice *O* descriptus sit, tamen in reliquorum codicum aestimatione recte eum iudicasse puto. Nec minus recte vir doctus, quantum quidem ipse, cui codices inspicere non licuit, rem examinare potui, disticha, quae in singulis libris manuscriptis repetita exstant, enumeravit, nisi quod pag. 168 post versum 1082 b non solum v. 87—90 sed etiam v. 93—94 in codicbus *A* et *O* repetitos esse dicit, qui versus omnino in nullo Theognideorum libro bis occurrunt. Plane igitur Nietzschio assentiendum esse puto, qui eadem pagina hanc profert sententiam: Es lassen sich also genaue Parallelen ziehen zwischen der Güte der Handschriften und der Zahl ihrer Wiederholungen. Die Vermutung ist wohl gerechtfertigt, dass auch *A* nicht alle

---

[1]) Tuetur hanc opinionem, quod hi decem versus multo innocentiores sunt, ut ita dicam, quam plerique alii libri *B*.

[2]) Tamen non nego fieri posse, ut unum vel alterum distichon iteratum sit, quia tanquam locus parallelus in margine adscriptus erat. Cf. ann. pag. 53.

Wiederholungen wiedergegeben hat, dass vielmehr der Aus lassungsprozess ebenso alt ist wie die erste Abschrift aus dem Urkodex. Ita igitur res se habet, ut librarii, qui Theognidea transscriberent, quotiens in versus iteratos inciderent, eos omitterent, quos se iam supra legisse meminissent. Sed etiamsi recte suspicamur fuisse in archetypo omnium codicum plures versus repetitos, quam nunc etiam in optimo libro Mutinensi leguntur, tamen non verisimile est olim numerum versuum in illo archetypo repetitorum non minorem fuisse quam numerum eorum versuum, qui nunc in libro *β* insunt. Sed quid obstat, quin putemus diorthotam illum suo arbitrio munere suo functum esse, cum mox pro versibus amatoriis, quos seposuerat, alios ex antecedentibus repeteret, mox satis haberet seiunxisse versus, in quibus offenderet, nec alios in eorum locum substituendos curaret?[1] Attamen nunc quoque ex numero versuum repetitorum aliquid ad probandam sententiam meam me proficere posse arbitror. Nam ex 28 distichis, quae in libro *A* repetuntur, 15 in maiore elegia exstant, reliqua 13 per se leguntur nec cum antecedentibus nec cum sequentibus coniuncta. In libro *B* autem secundum Bergkianam editionem omnino 18 singula disticha leguntur, quo ex numero duo disticha, quia ad quaestionem nostram non pertinent, segreganda sunt, 1243—44, quod etiam in libro *A* 597—98 occurrit et 1365—66, ad cuius exemplum factum esse distichon 1117—18 demonstravi. Fortasse etiam distichon 1375—76

*Ὄλβιος ὅστις παιδὸς ἐρῶν οὐκ οἶδε θάλασσαν,*
*οὐδέ οἱ ἐν πόντῳ νὺξ ἐπιοῦσα μέλει*

neglegi potest, nam probanda mihi videntur, quae Bergkius ad v. 1375 annotat: „sive breviator sive librarius aliquot versus videtur praetermisisse, quibus poeta felicitatem amatoris a maritimi itineris periculis procul remoti planius descripserat.“ Sed cum non constet, quo tempore versus, qui certe desunt, perditi sint, utrum cum in priore collectione elegia exstaret an cum iam translata esset in posteriorem,

---

[1]) **Nonne e. gr. versus 1353—56 ita in arctum redegit, ut unum tantum distichon 301—2 in libro *A* nunc efficiant?**

nihil certi de ea dicere ausim.[1]) Tamen iam hoc videmus numerum distichorum singulorum in libro *A* repetitorum a numero singulorum distichorum, quae nunc in libro *B* leguntur non pluribus quam duobus vel tribus differre, quae facillime excidere potuisse, cum codex Mutinensis ex archetypo transcriberetur, nemo negabit. Ex natura autem rei mihi sequi videtur diorthotam illum in locum longiorum carminum amatoriorum rarius alios versus substituisse, quoniam homini non nimis docto, quem tamen saepius novi aliquid in versibus repetitis afferre studuisse demonstravi,[1]) difficilior res visa est.

Haec fere est mea de versibus in Theognideis iteratis et de ratione, quae inter librum *A* et librum *B* intercedat, sententia.

## VI.

Reliquum est, ut examinemus, quomodo haec sententia cum eis consentiat, quae apud antiquos scriptores de Theognide eiusque poesi tradita legimus.

Ac primum quidem inspiciamus, quae Suidas sub voce *Θέογνις* offert, quia summi momenti esse videntur ad comprobandam meam de libro *B* sententiam. Sunt autem apud Suidam haec: *Θέογνις Μεγαρεὺς τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων γεγονὼς ἐν τῇ νθ' ὀλυμπιάδι, ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακοσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ. γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βώ καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς. Ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα, ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος.* De quibus verbis uberrime

---

[1]) Dubitari etiam potest de v. 1355—56, de quibus conferas, quae dixi pag. 13.

[1]) Veri non dissimile mihi videtur diorthotam illum non solum ex ipsis Theognideis versus repetivisse, quos in amatoriorum versuum locum substitueret, sed latius eius artem et industriam vagatam esse, cum ex aliorum quoque poetarum elegiacorum carminibus versus in textum reciperet. Hoc modo fortasse versus 933—38, de quibus pag. 13 egi, explicari possunt.

egit Nietzsche l. c. pag. 189 ss, qui rectissime, ut mihi videtur, demonstravit verba *ὅτι μὲν παραινέσεις* e. q. s. maxime differre ab eis, quae antecedunt.

Quoniam autem nobis non sit quaestio, quae fuerit patria Theognidis, nec quo anno natus sit nec quales et quot versus praeter gnomologiam ad Cyrnum scripserit, totam partem priorem eorum, quae sub voce Theognidis apud Suedam legimus, quam ille antiquioribus grammaticis debet, hic omittere possumus, praesertim cum viri docti, quamquam multa iam de ea excogitaverunt et conscripserunt, nondum consentiant, quid de grammatici verbis iudicandum sit. Accuratius autem examinanda videtur pars posterior, ex qua quid Suidas ipse de Theognideis iudicaverit, cognocere possumus, quod Nietzsche optime ostendit. Tamen non omnia probanda videntur, quae vir ille doctus ex hoc Suidae ipsius indicio concludit, quamquam ei hoc concedo Suidam non scribere potuisse: *ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες*, si ei codex ante oculos erat, in quo non aliter ac nunc in Mutinensi musa poetica in fine legebatur. Non enim verisimile mihi videtur, Suidam cui in manibus unum eorum codicum fuisse Nietzsche putat, qui ex archetypo, fluxerunt, quem ille *X*, significat, paucis versibus amatoriis libri *A* commotum esse, ut tam acriter et severe de Theognideis iudicaret. Addas praeterea, quod ipso saeculo decimo, quo tempore Suidam lexicon suum conscripsisse verisimile est codex Mutinensis scriptus est. Nonne igitur multo magis consentareum est grammaticum illum codicem, qui aut eodem aut priore tempore scriptus erat, iuspexisse, quam librum classis X., praesertim cum nullus eorum codicum, qui ex huius classis archetypo fluxerunt, decimo tertio saeculo prior sit? Reicienda igitur haec Nietzschii sententia mihi videtur et adstipulandum esse puto Hermanno Schneidewin, qui pag. 41 dissertationis suae Suidae iudicium ad versus libri alterius referendum esse censet. Sed nonnulla sunt, quae me impediunt, quominus rationem probem, qua ille difficultatem solvere studet, quam praebent verba *ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων* e. q. s. Putat enim ille in eo libro, quod in manibus grammatici Byzantini erat, non aliter ac in codice

Mutinensi post Theognidea scripta fuisse Bendophocylidea et Suidam omnes hos versus tribuisse Theognidi. Quum sententiam, etsi aliquam probabilitatem ei inesse negari non potest, quia nunc quoque in codicibus Mutinensi *A*, Vaticano *O*, Veneto *K* Pseudophocylidea versus Theognideos sequuntur, tamen probare non possum. Quomodo enim Suidas, si versus amatorios continuos nullis aliis intercedentibus in libro *β* legeret, uti potuit verbo παρασπείρειν, quod idem significat atque interspergere? Quod verbum cum optime de versibus potoriis, ad quos verba καὶ ἄλλα ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος referenda esse perspicuum est[1]), adhibeatur, quia plurimi passim in libro *A* leguntur, eo magis mirum esset, si grammaticus una vituperatione et carmina potoria et amatoria complexus, cum res inhonestas — μιαρίαι — ea nominet, de versibus libri *B* a libro *A* plane seiunctis eodem verbo uteretur.

At iam videmus, quam bene omnia inter se congruant, si accepta mea de versibus libri *B* sententia in manibus Suidae fuisse librum putamus, in quo versus amatorii libri *B* elegiis libri *A* intermixti erant. Cum autem codex Mutinensis, in quo versus amatorii iam a ceteris separati sunt, scriptus sit saeculo decimo e eodem saeculo Suidas codicem legit, in quo eidem versus intra librum *A* exstabant, hoc fere tempore a grammatico aliquo versus illos transpositos esse concludendum est. Proximus Suidae temporibus est Johannes Stobaeus, quem nostra ipsa collectione vel simillima usum esse Bergk Mus. Rhen. vol. III pag. 396 ss rectissime demonstravit, cum eo maxime nitatur, quod et ea quae a Theognide non profecta in librum irrepserunt, apud Stobaeum sub lemmate Θεόγνιδος legantur et versuum laudatorum ordo a compilatore exhibitus a codicum nostrorum non differat. Nostra igitur sententia probata necesse est Stobaeum amatorios quoque versus, qui nunc in libro *B* insunt, legisse. At hoc fortasse mihi obicitur mirum esse quod nullus

---

[1]) Verba καὶ ἄλλα e. q. s. non referri posse ad librum *B* apparet, quia in eo praeter amorem puerilem nihil inhonesti inest.

horum versuum a Stobaeo laudatur. Sed nionne hoc idem iis opponi potest, qui putant versus amatorios iam Stobaei temporibus librum *A* secutos esse. Nam hoc nullo modo mihi persuadere possum has duas collectiones, quas tam arcte cohaerere demonstravi, olim omnino separatas fuisse et postea quasi casu quodam coniunctas esse. Neque argumentum a Bergkio ex ordine versuum laudatorum petitum ad irritum cadit, quia ordo reliquorum versuum Theognideorum non mutatus est, cum disticha amatoria a ceteris seiungerentur.

Priusquam autem reliquorum scriptorum antiquorum de Theognideis testimonia accuratius examino, afferendum mihi videtur, quod Hiller in annal. philol. vol. 51 pag. 468 de hac re exposuit. Hoc fere ille dicit viros doctos, qui explorare vellent, quo tempore sylloge nostra facta sit, saepe perversissima ratione usos esse, cum si ab aliquo auctore Theognis ita laudaretur, ut manifestum sit eum nostram collectionem aut non novisse aut certe non Theognidi tribuisse concluderent librum nostrum tum omnino nondum exstitisse. Qua in re Hillero plane assentior; non enim necesse erat, si unum vel complura exemplaria talium syllogarum, qualis nostra est, in quibusdam bibliothecis erant, ea omnibus nota fuisse et ab omnibus pro genuinis Theognideis habita esse.

Quodsi igitur Nietzsche pag. 180 s recte ex Juliani et Cyrilli locis concludit eis non notam fuisse nostram collectionem, ex eo non sequitur post horum virorum tempora eam compositam esse. Mihi quidem multo virisimilius videtur iam Athenaeum nostra sylloge usum esse, quia X, 4280 v. 477—87 et VIII 364 c v. 467 et partem versus 469, quos non a poeta Megarensi factos esse sed Eueno Pario tribuendos esse supra demonstravi, Theognidis nomine affert. Quam sententiam eo quoque comprobari posse existimo, quod Athenaeus eodem loco duas elegias citat, quae in nostris quoque Theognideorum libris eundem locum obtinent. Legitur enim sic apud Athenaeum VII, 310 *A*: *Ἦν δὲ καὶ ὁ Θέογνις περὶ ἡδυπάθειαν, ὡς αὐτος περὶ αὑτοῦ φησὶ διὰ τοιτων* (sequuntur v. 997—1002) *οὐδὲ τὸ παιδεραστεῖν ἀπαναίνεται ὁ σοφὸς οὗτος. λέγει γοῦν* (sequntur v. 993—96). Sed aliam hic Athenaei

locus difficultatem praebet. Cum enim notum sit, »quam studiose Athenaeus id saepe egerit, ut si qua labes esset in summorum virorum operibus moribusque in lucem eam protrahat«, ex eo quod hos solos versus affert, nonnulli viri docti concluserunt nullos alios tales versus in eo libro infuisse, qui in manibus Athenaei erat[1]), alii hoc certe dicunt fieri non potuisse, ut Athenaeus librum *B* legerit[2]). Equidem sententiam, quam Reitzenstein l. c. pag. 67 ann. 2. protulit, rectam esse censeo, Athenaeum cum exemplis ostendere vellet Theognidem in voluptates pronum fuisse, qua erat malignitate, has duas elegias ob eam ipsam causam, quod altera alteram exciperet, elegisse. Nihil igitur obstat, quin iam Athenaei temporibus versus amatorii libri *B* intra carmina libri *A* fuerint[3]), praesertim cum vix in omnibus versibus Theognideis duas elegias invenias, quibus poeta tam aperte dicat se corporis voluptatibus deditum esse. Nullo enim alio loco poeta, quantum ego vidi, de se ipso talibus verbis usus est ut nostro carmine potorio *γαστρὶ χαριζόμενοι*[4]), nec in ullo carmine amatorio, ne in illis quidem, quae nunc in libro *B* sunt tam aperte dicit se puerorum amatorem esse. Nam in illis omnibus cum certum quendam puerum alloquatur modestis et quasi honestis verbis usus plerumque de amicitia tantum loquitur, hic cum dicat se cum alio poeta de puero pulchro certare velle, apparet eum impuro generi amoris deditum fuisse[5]).

---

[1]) cf. Welker prol. LXXVI, Nietzsche l. c. pag. 183.

[2]) Hiller l. c. pag. 469.

[3]) Quod Nietzsche de locis Athenaei, quibus ille de Archestrato egit, dicit, alio loco eiusdem scriptoris ab ipso Nietzschio allato refutatur; cum enim Athenaeus VII, 310 *A* diçat: *περὶ τούτων φησὶν Ἀρχέστρατος ὁ τῶν ὀψοφάγων Ἡσίοδος ἢ Θέογνις*, si recta esset Nietzschii de Theognide sententia, sequeretur Athenaeum putasse Hesiodi quoque poesin mere sententiosam esse.

[4]) Recurrere haec verba v. 920 non me fugit, sed poeta ibi de alio homine loquitur.

[5]) Fortasse longius quoque progredi possumus. Versus libri *B* a libro *A* seiungi non posse sed antiquitus una cum eo traditos esse iam supra pag. 41 exposui. Dubitari non potest, quin Athenaeus, si eos in libro *B* coniunctos legisset, cum Theognidi maledicere vellet, huius libri mentionem fecisset. Quod cum non faciat neque tamen versus libri *B* a libro *A* separari possunt, nihil reliquum esse videtur, nisi ut sententia mea probetur.

Clemens Alexandrinus utrum nostram an aliam syllogen Theognideorum ante oculos habuerit, dubitari potest, certe iam in eius exemplari v. 153 nostri libri, quem Solonis esse supra pag. 14 demonstravi, exstabat. Antiquioribus quam eis, de quibus adhuc egi scriptoribus nostrum Theognideorum librum notum fuisse nullo modo probari potest. Ex Plutarcho quidem de aud. poet. 2 et Dione Chrysostomo II, 3 nihil aliud sequitur nisi illorum hominum temporibus non minus quam Juliani et Cyrilli Theognidem fama optimi praeceptoris maxime floruisse.

Tamen Bergkio assentiendum esse puto, qui p. l. vol. II. pag. 234 de tempore, quo nostra collectio orta sit, haec habet: Equidem censeo admodum antiquam esse hanc syllogen, quae cum in omnium esset manibus effecit, ut mature germana Theognidis carmina oblivione obruerentur. Accuratius autem determinare tempus, quo orta sit sylloge nostra, non ausim. At hoc pro certo dici potest Platoni longe alium librum Theognideorum in manibus fuisse ac nostrum, cum philosophus ille Men. pag. 95 D laudatis versibus 33—36 pergens *ἐν ἄλλοις δὲ ὀλίγον μεταβάς* versus 435 s nostrae collectionis addat. Verbis *ὀλίγον μεταβάς* Platonem uti non potuisse, si inter duos locos laudatos ut in nostra collectione 400 versus intercederent, perspicuum est.

Ex Xenophontis quoque loco, qui apud Stobaeum flor. LXXVIII,4 servatus est, sequitur scriptorem illum alia ac nostra Theognideorum collectione usum esse, in cuius initio erant versus 183 ss[1]). Alium quoque locum Platonis breviter hic attingere liceat, de legg. 810 E, de quo uberius egerunt Bergk p. l. vol. II pag. 235 et Reitzenstein l. c. pag. 72, quamquam nihil ex hoc loco cognosci potest nisi Platonis tempore magistros discipulis electos quosdam ex poetarum scriptis locos ediscendos tradere solitos esse. Nostra autem collectio cum certe in usum scholarum non facta sit, amplius de his Platonis verbis disserere non necesse est. Mirum autem mihi videtur, quod uterque vir doctus de loco

---

[1]) Reicienda enim mihi videtur sententia, quam Sitzler pag. 4 s de hoc loco protulit.

Isocratis, ad Nicoclem 43, quem una cum Platonis loco affert, scripsit, nam neuter recte verba Isocratis percepisse videtur. Facile enim quicunque locum accuratius inspexerit, cognoscet Hesiodi, Theognidis, Phocylidis poesi opponi scripta aliorum poetarum, ex quibus singulas sententias eligendas esse Isocrates dicit. Quoniam igitur omnino hoc loco non agatur de electione e Theognideis facienda, nec Bergk recte conclusit: »nondum talis sylloge exstabat«, nec Reitzensteinio scribendum erat p. 71: Wenn jemand aus Hasiod, Theognis und Phokylides, welche doch allgemein die besten Berater fürs Leben hiessen, die Gnomen, also die Kernpunkte ihrer Dichtung auswählte e. q. s. Conferri potest hic locus cum loco Athenaei, de quo pag. 107 ann. 1. egi, quia utroque una cum Theognide Hesiodus affertur, quasi utriusque poesis sit mere sententiosa. Quontiam autem scimus Hesiodum non solum versus paraeneticos sed etiam alia carmina conscripsisse, ex verbis Isocratis effici non potest Theognidem nihil nisi versus praeceptivos fecisse. Hoc solum sequitur eum item atque Hesiodum hoc genere poesis summam gloriam adeptum esse. Sed nobis cum non sit quaestio, utrum versus amatorii genuini Theognidis sint necne, amplius de hoc loco agere non necesse est.

Quoniam sic omnes locos antiquorum scriptorum, qui ad rem nobis propositam diiudicandam alicuius momenti esse visi sunt, perlustravimus, iam hoc pro certo dici potest nullum eorum obstare sententiae nostrae de ratione, quae inter libros *A* et *B* intercedat.

# Vita.

Carolus Henricus Frese die VII mensis Januarii MDCCCLXX patre Christiano, matre Doride, e gente Starck, Ueterseni natus sum. Quo in oppidulo postquam usque ad decimum tertium annum publicis et privatis scholis eruditus sum, in tertiam classem gymnasii Meldorfiensis receptus sum, quod usque ad autumnum anni 1889 frequentavi. Maturitatis examine perfunctus Monachium me contuli, ubi per duo semestria militavi. Antumno proximi anni universitatem Kiliensem adii, quo studiis philologicis me darem, cuius Academiae civis adhuc fui, una excepta hieme, quam Berolini degi. Docuerunt me viri docti hi: Blass, Bruns, Cauer, de Christ, Deussen, Erdmann, Geigel, de Gizycki, Glogau, Guettler, Kirchhoff, Paulsen, de Treitschke, Rossbach, A. Schoene, Wolf, quibus omnibus gratias ago quam maximas. Seminarii philologici Kiliensis per quinque semestria sodalis fui.

## Sententiae controversae.

---

1. Theognideorum collectio non facta est in usum scholarum.

---

2. Versus 467—496. Theognideorum dirimendi non sunt.

---

3. Studemundium (ind. lect. Vratislav. 1889/90 pag. 37) non recte numerum versuum Theognideorum computasse contendo.











